

cat a fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta et accepta invenies, quod fuisti et amplius. Tene ergo, inquit idem c. xxx. tene breve et consummatum verbum, dimitte omnia, et invenies omnia. Relinque cupidinem, et invenies quietem. Quanto celerius hoc agis, tanto melius habebis: et quanto plenius et sincerius, tanto plus Deo placebis, et amplius lucraberis. » Quae omnia facile possunt per particulares casus amplius deduci et amplificari.

#### Conceptus secundus.

Perquam utilis etiam doctrinae occasione sequens fabella offert. Hinnulus vivebat in sylva, qui, cum frequenter sibi insidias a bestiis, canibus, venatoribus paratas esse adverteret, ex quibus difficile se per fugam eripisset, pertesus tandem tam inquietam curisque repletam vitam, statuit extra sylvam asylum querere. Egressus itaque e sylva in gregem ovium in campo pabulantium incidit, quas cum quiete admodum pacificeque vivere, et insuper Pastoris canisque prasidio securas degere adverteret, ad pastorem accessit, atque ut se quoque ovibus suis accensere vellet, etiam atque etiam rogavit, vel se quoad omnia moribus et genio ovium se accommodare. Cum ergo concessisset id Pastor egressus cum ovibus ad pasena, iterumque regressus ad ovile hinnulus, magna sibi videbatur quiete, felicitateque frui. Sed cum post aliquot hebdomadas sacrificuli quidam ovile ingressi oves quasdam abduxissent, querenisque hinnulus ex aliis ovibus, quo illa ducerentur, intellexisset, eas ad sacrificium, quo diis immolentur, abduci, ingemuit enimvero, dixitque: Sicine et ovibus moriendum est? Tamen praestat manere cum ovibus, et, quamdiu vivere concessum est, cum tanta concordia ac quiete sub cura et tutela pastoris vivere, ac, ubi moriendum est, diis sacrificari, atque adeo tam honesta et laudabili morte vitam concludere, quam inter perpetuas rixas et insidias cum bestiis in sylva degere, eorumque vel canum dentibus lacerrari, morteque tam ignobili obire. Sic dixit, ac tandem inter oves cum ingenti solatio vivere perrexit, donec et ipse diis immolatus parem, sicut in vita, ita et in morte sortem cum ovibus obiit.

#### Applicatio.

Ex occasione hujus fabellae excitari Auditores ad patientiam Christianam possunt, dicique per hinnulum istum quemvis hominem Christianum intelligi, qui aliquamdiu in mundo maligno velut sylva deserta et infructifera inter bestias, id est, peccatores degens, advertit, in perpetuo vita aeternae simul et praesentis amittendae periculo stare, multisque aliis tribulationibus obnoxium esse, uti pulchre pius Asceta indicavit, dum l. III, de Christi imit. c. xii. dixit: « An putas, quod homines saeculi hujus nihil vel parum patientur? Nec hoc invenies, etiamsi delicatissimos quaesieris. Sed habent, inquis, multas delectationes, et proprias sequuntur voluntates, ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto ita sit, ut habeant, quidquid voluerint, sed quamdiu putas durabit? Ecce quemadmodum fumus deficient abundantes in saeculo, et nulla erit recordatio gaudiorum. Sed et cum adhuc vivunt, non sine amaritudine et tedio ac timore in eis quiescunt. Ex eadem namque re, re, unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris poenam frequenter recipiunt. Juste illis fit, ut quia inordinate delectationes quaerunt, et sequuntur, non sine confusione et amaritudine eas expleant. O quam breves, quam falso, quam inordinate et turpes omnes sunt! » Haec ergo considerans Christianus si mundum (mente saltem, implendo illud S. Pauli i. Cor. vii. *Reliquum est, ut, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*) deserere, ovibusque, id est, justis et electis hominibus se associare statuat, videbit et hos absque tribulatione non vivere, cum scriptum sit Act. xiv. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*; ideoque Christus ipse velut caput electorum de se Luc. xxiv. dixerit: *Nonne hoc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Unde denique resolvit se ad vitam justorum vivendam, tribulationesque, quibus carere non possumus, aequo et alacri animo, amore Dei magis, et aeternae felicitatis consequenda, poenaeque temporalis expianda tolerare, quam cum peccatoribus eadem adversitates ex necessitate duntaxat, sine solatio, sine fructu, sine spe praemii sustinere, et insuper aeternas aliquando poenas tolerare. Quae omnia paulo fusius explicata non modicum Auditoribus solatium, roburque ad adversa, quibus

plerique abundant, aequiori animo toleranda conciliabunt.

#### Conceptus tertius.

Utilem etiam ad mores reformandos fabellam Esopis, et ex eo Hermannus Hugo in piis desideris l. II. de duobus musculis, urbico et sylvestri seu rustico narrat; quod scilicet cum musculus urbicus rusticum visitasset, et nonnisi panem caseumque mucidum, veluti ruris delicias, appositum cum fastidio gustasset, cito inde se proripiens rusticum musculum vicissim ad urbem invitavit, meliori longe epulo deliciasque excipiens. Cessit igitur invitationi musculus rusticus, et, ubi civitatem cum socio attingit, in penum omni ciborum genere instructissimam ductus, in medio Paradiso se habitare, felicitatemque ipsam obtinuisse credebat; verum cum paulo post felem insidiantem conspexisset, et, vix in cavernulam cum socio dilapsus vitam servasset, valedicens urbico musculo: Tuas, inquit, tibi deinceps delicias tu habeto, non invidio; malo equidem ego mucido meo pane caseoque cum securitate gaudioque victitare, quam tuis deliciis cum tanto vita amittendae periculo abundare.

#### Applicatio.

Hujus fabellae occasio poterunt conscientiae male et bonae fructus explicari, et per urbicum quidem murem divites, ambitiosi, luxuriosi, alique similes peccatores intelligi, qui, licet sibi delicias abundare videantur, perpetuis tamen conscientiae stimulis fodiuntur, atque in vite beatitudinisque amittendae certo periculo versantur, quae omnia non possunt non insuavem et miseram eorum vitam efficere, id quod Dionysius Rex Syracusanus pulchre olim Damocli sermo suo, practico exemplo ostendit. Cum enim hic assiduo felicitatem Regis sui depraedicaret, Rex mensam omni ciborum genere, potaque suavissimo instructam apparari, eique Damoclem in regia sella asidere, jussit, sed ita ut pendente ex sella equi nudum gladium, capiteque imminente aspiciere cogere; quem ubi Damocles conspexit, omnem ei ad regias epulas appetitum extinxit. Quare a Rege ad felicitatem regiam gustandam animatus respondit: Et quomodo felicem me

reputare possum, qui in tanto vite periculo me constitutum, gladiumque vertici meo imminente conspicio? Atqui eandem, inquit Rex, scito meae felicitatis esse sortem. Abundo quidem et ego opibus, honoribus, voluptatibus ac deliciis, sed dum imminente vertici meo gladium hostium, amulorum, et ipsius vindictae divinae conspicio, omnis et mihi deliciarum istarum appetitus et voluptas extinguitur. Ut adeo vere dixerit Thom. Kemp. l. II. c. iv et vi. » Mala conscientia semper limida est et inquieta. Et: Mali nunquam veram habent letitiam, nec internam sentiunt pacem, quia non est pax impiis, dicit Dominus. Et si dixerint: In pace sumus, non venient mala super nos, et quis nobis nocere audebit? Ne credas eis, quoniam repente exurgit ira Dei, et in nihilum redigentur actus eorum, et cogitationes eorum peribunt. » Verbo: « Si est alicubi tribulatio, et angustia, hoc melius novit mala conscientia. »

Per rusticum murem intelligitur bone conscientiae homo, qui mundum et mundanas delicias, animo saltem contentens, modicoque victu, et amictu contentus id unum agit, ut per mandatorum divinarum observationem, vitam Christiano homine dignam vivens, aeternas, verasque sibi delicias praeparet. Quamquam etiam in hac vita ejusmodi homo sua delectatione non careat; *Non enim est oblectamentum super cordis* (non ullius peccatoris nos arguentis) *gaudium*. Et ut clarior dixit Thom. Kemp. l. II. c. iv. « Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. » Unde Salomon Prov. xv. dixit: *Secura mens quasi iuge concivium*. Recte ergo talis homo concludit cum rustico musculo, illamque Salomonis sententiam Prov. xvii. usurpari: « Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. »

#### Conceptus quartus.

Poterit etiam non inutiliter narrari fabella seu apologus olim Josaphat Regi a Barlamo narratus, uti in vita ipsius c. x. habetur; ubi ait comprehensam aliquando ab aucupo Philomelam fuisse, quam cum ille mox jugulare vellet, rogasse ipsam, ut hac vice liberam ipsam dimitteret, vellet enim se illi ejusmodi precepta tradere, quae, si servaret, summam hand dubie felicitatem

osset consequentur. Accepta ergo conditio: «*Tria, inquit Philomela, servato in omni vita tua. Rem, quae apprehendi nequit, apprehendere ne querito: rem, quae non est vero similis, ne credito: rem perditam, quae recuperari nequit, ne plangito.*» Dimissa igitur post haec doctrinas datas avicula arbori insedit, acupemque sic affata est: «*Vae tibi, quantum bonum perdidisti! Etenim gemmam in ventre fero ovo struthionis magnitudine non imparem, quam si me occisa exemisses, tota vita tua beatus fores.*» Quo audito cum ille lamentari, aviculamque ad se iterum allicere inciperet, subridens illa: Hem, inquit, quam parum doctrinas a me traditas observes, dum et credidisti, talem gemmam me in utero ferre, quod est incredibile: et dimissam me denuo capere voluisti, quod facere nequis: et rem perditam, quam recuperare non potes, inutiliter planxisti.

#### Applicatio.

Ex hac fabella utilissimae tres doctrinae erui, ipsaque praecepta a Philomela data in hunc moralem sensum explicari possunt.

1<sup>o</sup> *Rem, quae creditibilis non est, ne credito:* atque adeo, cum creditibile non sit ullam rem creatam satiari posse appetitum cordis et animae tuae, «*haec enim, teste S. Bernardo, ad imaginem Dei facta, ceteris rebus occupari potest, repleri non potest; capacem enim Dei, quicquid Deo minus est, replere non potest.*» noli id credere, sed, ut monet pius Aesceta I. II. c. v. «*Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi pure Deus, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quicquid consolationis occurris de creatura; solus Deus aeternus et immensus, implens omnia, solatium animae, et vera cordis laetitia.*» Dic ergo cum S. Davidis Ps. xxxvi animae tuae: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

2<sup>o</sup> *Rem, quae apprehendi nequit, noli velle apprehendere:* atque adeo cum in hac vita nemo unquam immunitatem a tribulationibus habuerit, nec habere possit (cum omnes oportet per multas tribulationes introire in regnum Dei) noli eam velle acquirere, sed potius illa tibi Auctoris pii verba I. II. c. xii. applica: «*Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit praeterire? Quis Sanctorum in mundo sine tribulatione fuit? Nec enim Jesus Christus Dominus noster una hora sine*

dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Oportebat, ait, pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam. Et quomodo tu aliam viam queris, quam hanc regiam viam, quae est via crucis? Erras, erras, si aliud queris, quam pati tribulationes: quia tota vita ista mortalis plena est miseris, et circumsignata crucibus. Pone te ergo sicut bonus et fidelis servus Christi ad portandam viriliter Crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi. Calicem Domini affocantem bibe, si amicus ejus esse, et partem cum eo habere desideras.»

3<sup>o</sup> *Rem, quae recuperari nequit, ne plangito:* hinc quia tempus praeteritum reparari non potest, volat enim irrevocabile tempus; et, ut quidam cecinit:

*Damna fero rerum, sed non fero damna dierum,  
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.*

imprudenter facit, qui illius amissionem immodice plangit, sed potius exemplum Apostoli sequi debet PHILIP. III. «*Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora; extendens seipsum.*» Aut certe ejusdem consilium servare dicentis ERM. V. «*Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*» Redimet autem praeteritum etiam tempus quisquis ex ejus amissione occasionem sumpserit, posterius tempus accuratius observandi, et singulari fervore, quem aliqui forte non suscepisset, sua opera facere studuerit.

#### Conceptus quintus.

Poterit etiam narrari cum fructu fabella seu apologus, quem Jacobus Bidermanus in suis Acroamatib. Act. II. narrat, quod scilicet cum draco quidam spelancam subisset, et rusticus saxum eidem objecisset, ille summis precibus rusticum, ut saxum removeret, insulterit, et vero etiam persuaserit, postquam mercedem, quam mundus benefactoribus dare consuevit, se quoque daturum promisit. Dimissus ergo cum rusticum occidere vellet, hanc esse mundi mercedem promissam asserens, ut benefacta malefactis rependantur; rusticus autem hoc esse contra fidem datam contenderet, tandem unanimiter statum mundum perambulare, et quae merces ab eo dari consueverit, apertius indagare. Dum

ergo progrediuntur, in strigosum equum incidunt, quena, dum interrogant, quid isthic agat, respondit is, se post diuturnam et fideli operam Domini praestitam tandem domo expulsus, nunc excoctorem et mortem expectare. Ab hoc digressi paulo post canem aspiciunt, hanc ex arbore suspensum, et seminecatum, quem quaerentes, ob quam causam hic suspensus esset, respondentem audiverunt, hanc esse mercedem, quam Dominus ingratus ob fidelissimum servitium annis sat multis praestitum tandem obtulisset. Jam altero ergo teste convictus rusticus cum ad tertium appellaret, tandem in vulpeculam incidit, quae intellecta lite arbitrum agere, sententiamque pronuntiare jussa, seducit rusticum, et liberationem occulte spondet, si dimidium gallinarum, quas domi in corte aleret, in grati animi argumentum promitteret. Annuente illo, ad draconem conversa ait, se justum judicium ferre non posse, nisi locum, in quo draco latuisset, inspiceret. Ingressus ergo iterum in cavernam draco, moente rusticum vulpecula, subito iterum per saxum advolutum includitur, frustra quoque liberationis beneficium exposcit. Dum vero postea et ipsa vulpes cum rustico ad domum filius properat, et promissas gallinas expectat, suasu uxoris, fuste ab eo occiditur, suae morte confirmat, quae merces a mundi hujus amatoribus aut cultoribus offeratur. Quae omnia fusiis apud Bidermannum narrata videri possunt.

#### Applicatio.

Ex hac fabula, pulchra desumi potest occasio, simul et beneficium Redemptionis, et hominum ingratos animos explicandi.

1<sup>o</sup> Ergo ostendatur, quae ratione etiam humanum genus in antro seu Limbo, seu Purgatorii fuerit inclusum, grandi saxo peccati originalis obvoluto firmatum. Et quomodo Christus ad preces tam ardentibus, quibus assiduo clamabatur: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justam: aperiat terra, et germinet Salvatorem:* per SS. Passionem suam hoc saxum amoverit, genusque humanum liberarit, beneficio tanto majori, quanto majorem laborem et dolores in eodem peccato removendo fuerat perpessus.

2<sup>o</sup> Demonstret, quas gratias ipsi referat humanum genus; quod iterum eundem crucificat, et morte gravissima et turpissima,

nempe peccati actualis mortalis ipsum occidere non veretur; id quod quotidiana experientia tot hominum accepti beneficii immemorum, iterumque post confessionem statim peccantium probari potest.

3<sup>o</sup> Ostendat, quam gravis sit haec accepti beneficii oblivio, quamque merito vereri ejusmodi homines possint, ne ad morem hujus draconis in eodem iterum antro, ex quo liberati fuerunt, recludantur, et aeternis supplicis ingrati animi crimen luan.

#### Conceptus sextus.

Narrari item potest, quod Gottschalcus Ordinis Erem. S. Augustini ser. C. et ex eo Jo. Major in Spec. ex. tit. Judic. temel. ex I. narrat in haec verba: *Paterfamilias quidam asino insidens foras cum filio ibat, filius vero pedester ambulabat. Occurrit eis una caterva hominum peregrinantium, murmurantium, et dicentium: «*Quomodo ille inveteratus malorum dierum equit in asino, et permittit illum juvenem fatigare?*» Quod audiens pater (sicut vir erat, qui hominum vana diceria sonper vitare cupiebat) filio suo dixit: «*Fili, hominum non placet, quod asino insideam, tu ergo eum ascendere debes.*» Quod jussu patris filius fecit. At eis occurrit alia caterva hominum etiam murmurantium et dicentium: «*Ecce qualiter juvenis iste asino supersedit, et permittit illum senem pedestrem ire.*» Quod etiam filius (patri in eo similis) intelligens patri suo dixit: «*Pater, neque eis placet, quod ego asino insideam. Praestare igitur videtur, ut uterque insideat;*» quo facto, ut prius, occurrit multitudo hominum dicentium, eos asinum obruere, eosque merito pudere debere. At ubi hoc rursum animadvertissent, decurrunt, ut uterque ex asino descendat; quo facto nihilominus occurrit turba alia, eosque graviter imprudentiae ac stultitiae arguit, quod nimirum asinum vacuum ire sinerent, cum tamen ipsi itineris laboribus non parum defatigarentur, a quibus facile per asinum liberari possent. Pater autem tam varias hominum sententias expertus, ultimum tentare satius esse duxit, ut scilicet ligatis pedibus anterioribus et posterioribus asini, et pertica per eos ducta, asinum ipsimet portarent, quod etiam fecerunt, quibus etiam obviam facta est cachinnantium hominum multitudo inloquentium: «*Quam**

hi delirant, cum namque ab asino portari deberent, ipsimet eum portant. » Tunc nato parens dixit: « Omnibus placere haud possumus: faciamus, quod placet nobis, et non curemus. » Hucusque Gottschalvus.

*Applicatio.*

Et hac fabula occasionem sumat indicandi potioem radicem, cur tam multi tam parum in perfectione Christiana proficiant, nimirum quia respectus humanos nimium attendunt, illudque: Quid dicent homines, nimis invalescere sinunt, id quod inductione variorum exemplorum facile ostendi potest. Quapropter ostendenda illis imprimis est, impossibilitas placendi omnibus hominibus, cum etiam Christus et S. Paulus omnibus omnia facti, hominum de se sinistra judicia evitare non poterint. 2<sup>o</sup> Pariter ostendenda erunt damna, quae ille incurrit, qui omnibus placere cupit, nimirum ut, dum tam varias ideas sibi proponit, et imitari conatur, deforme monstrum producat, id quod ingeniose Polyetes sculptor quondam ostendit, dum imaginem a se pulcherrimam ad regulas artis depictam a variis reprehendi adverteas, aliam huic penitus similem pinxit, et ante domum velut excandam exposuit. In qua cum iterum nunc longitudinem, nunc brevitatem nimiam, nunc aliud carpi audiret, digressis illis, qui carpebant, membrum quodvis, prout illi depingendum censebant, emendavit et efformavit, cum autem ob summam membrorum omnium deformissima imago et turpissima prodisset, imaginem suam priorem juxta hanc statuit, dixitque accurrentibus. En cives, quale opus efficitur, si vestra in pingendo judicia attendam: quam autem perfectum et elegans sit opus, quod a me secundum artis meae regulas est elaboratum. 3<sup>o</sup> Hortetur, ut deinceps soli Deo placere satagant, utpote cui placere facillimum (ut qui non opus, sed animum attendit) utilissimum (cum majus ille premium offerat, quam ob ullo hominum sperari possit) et honestissimum est, cum solum ipsius omnium hominum collective sumptorum judicio longissime sit anteponendum.

*Conceptus septimus.*

Denique potest etiam narrari fabella de sartore illo, qui quondam summo mane,

cum maxima formidine, et omnium membrorum insolito tremore ad Confessarium accurrit, atque, ut confessionem suam excipere vellet, rogavit. Quam cum absumvisset, quesivit Confessarius, quae causa tanti timoris, et acceleratae confessionis foret, cui sartor respondit, visum sibi in somno atrocissimum et nigerrimum demonem fuisse, qui assiduo vexillum aliquod super caput suum veluti triumphans rotarat. Quo audito, ulterius quaesivit Confessarius, annon advertisset, quae ex materia vexillum illud fuisset confectum? Adverti utique, inquit sartor, ex meris fragmentis, quae variis fortis subdixeram, fuisse consarcinatum. Cui Confessarius: Facile ergo nunc appareat causa hujus triumphus hostilis, et tui tremoris. Voluit nempe ostendere, per haec furta te ab eo devictum. Recte ergo egisti, haec peccata tua confitendo, teque iterum hostis potestati eripiendo. Deinceps tamen sedulo caveto, ne furta haec repetas, atque ut hoc tanto facilius, certiusque observes, puero tuo praecipue, ut, quoties deinceps materiam pro vexibus scindis et preparas, aures tuas vellit, clametque: *Magister, memento vexilli*. Promisit hoc se facturum sartor, et vero etiam aliquoties hoc medium sibi valde profuisse expertus est ad manus ab ejusmodi fortis continendas. Verum cum aliquando materiam quamdam auream et valde pretiosam scinderet, et puer periculum advertens, senel iterumque altiori voce clamaret: « Magister, memento vexilli; » respondit tandem cum indignatione sartor: « Cessa nunc clamare; neque enim aurea in illo vexillo fragmenta a me conspecta sunt. » Sicque manus suas iterum fragmentorum hujusmodi subtractione commaculavit.

*Applicatio.*

Ex hac fabella occasionem sumere potest Concionator, duplicem doctrinam proponendi Auditoribus. 1<sup>o</sup> Quantum triumphum de peccatore, jubulumque celebret Daemon, si forte eum per assensum in peccatum in suam redegit potestatem. Quodque hujus triumphus, et vexilli, quod supra peccatorem rotat, materia ab ipsomet peccatore offeratur. Cum ergo jam nunc iterum per confessionem ab hoc vexillo se subdlexerint, quam aequum sit, ut ipsi etiam sibi verba illa: *Memento vexilli*: in omni occasione peccandi occurrant,

atque hoc freno a relapsu in peccatum continent. Quem in finem proderit, accurate aliquid quando ponderare, quam durum et turpe sit hoc vexillo Diaboli militare, ubi pro honore summa infamia, pro solatio summi doloris, pro spoliis summa paupertas, pro premio summi cruciatu acquiruntur.

2<sup>o</sup> Ostendat, quanto satius sit sub Christi vexillo militare, ut qui et dignitate, et sanctitate, et felicitate, et liberalitate, qua suos milites fovet ac recreat, infinitis Luciferum excedit: qui integrum, idque felicissimum regnum suis militibus in premium pollicetur: qui ipse exemplo praet, et ad praelia Domini pugnanda qua verbis, qua factis roborat: qui ad jugum suum suave et onus leve tam amice invitat. Excitentur proinde Auditores, ut, quandoquidem hoc tempore post factam confessionem deserto Luciferi vexillo ad ipsius Christi vexillum iterum confluunt, deinceps, quoties occasio peccandi se offert, semper hujus vexilli memoriam refricent, sibi que dicant: « Memento vexilli Christi, » nam, ut S. Cyprius, de duplici martyrio ait, « hujus militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, hujus Sacramentis initiatus es, accepisti donativum et pignus Spiritus, ne quid dubitares de promissio stipendio, simulque Diabolo denunciasti perpetuas inimicitias, renuntiasti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflasti, exsibilasti, jurasti in verba Redemptoris. Et nunc tam vili mercedula sollicitus, sponte deficiis ad eum, a cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit, cuius jam totus es factus? »

CAPUT IX.

DE PRAXI CONCIONES DE PASSIONE DOMINI HABENDI.

*Quid in his concionibus in genere sit observandum.*

I. Quamquam haec conciones vim et efficaciam habeant ad mentes Auditorum in Christi Servatoris sui amorem vehementissimum inflammandas, vel ex-unico S. Bern. testimonio colligi potest, dum in sermone quodam ait: « Super omnia te mihi amabilem reddidit, o bone Jesu, calix, quem bibisti, opus nostrae Redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vindicat; hoc, inquam, devo-

tionem nostram blandius allicit, justius exigat, acrius stringat, et vehementius afficit. » Et vero vel ideo forte etiam petras Passionis ac mortis suae tempore rumpi atque discindi voluit Christus, ut ostenderet, quantas olim vires ac efficacias eadem sua Passio habitura esset ad durissimum peccatorum corda emollienda. Merito ergo omnem dabit operam Concionator, ut ita ejusmodi conciones instituat, ut nemo facile ex Auditoribus discedat, qui non tanti beneficii commemoratione commotum se, atque in ardentem Christi Servatoris sui amorem inflammatum sentiat. Ut autem hunc scopum facilius obtineat, sequentes doctrinas proderit observasse.

II. Et primo quidem ante omnia ipse studeat beneficii hujus magnitudinem clare agnoscere, digneque ponderare; quem in finem sex aut septem capita bene ponderanda sunt. 1<sup>o</sup> *Persona que patitur*: in qua dignitatem, innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, liberalitatem, charitatemque considerare oportet; ex his enim omnibus non modice augetur et crescit Redemptionis beneficium. 2<sup>o</sup> *Cruciatuum, quos Christus perpressus est multitudine et atrocitas*: qui breviter ipse illis verbis JEREM. Th. c. i. expressit: *O vos omnes, qui transitis per viam: attendite, et videte, si est dolor similis dolori meo*. Dividuntur autem in externos, per baptismum a Christo, quando dixit: *Baptismo habeo baptizari*. MATTH. X. indicatos; et internos, per calicem, quando JOAN. XVIII. dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* significatos, hic enim, quia ingreditur, et penetrat interiora, merito internos dolores significat, uti et baptismus externos, quia per hunc corpus exterius tantum abluitur. Ad externos pertinent ea, quae Christus in facultatibus et rebus necessariis, in honore, fama, corpore, amicis, quinque sensibus, et reliquis membris ac partibus corporis passus est, ita ut merito de eo diceretur a Propheta Isaia cap. i. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus et livor, et plaga tumens*. Ad internos pertinent Divinitatis desertio, sensibilibus consolationum suspensio, tristitia propter injuriam Deo illatam, et tot hominum condemnationem, timores, tedia, quam sanguineus sudor testabantur, qui, sicut partem hominis nobiliorem scilicet animam afficiebant, ita longe quoque externos dolores in corpore exantillatos acerbitate sua supera-

bant. 3<sup>o</sup> *Persecutorum multitudo et crudelitas*: nam persecuti eum sunt Rex Herodes irridens, Pilatus condemnans, summi Sacerdotes Annas et Caiphas eum reprobantes, Scribe et Pharisei accusantes, milites comprehendentes et subsannantes, Carnifices flagellantes, spinis coronantes, et crucifigentes, plebs ad mortem eum postulans, et Barabae illum postponens, et ipsi Discipuli eundem vel deserentes vel tradentes, vel negantes, de quibus merito illa PSALM. XXI. verba usurpabat: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pinguis obsederunt me, circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me*. Fuitque dolor ex hac persecutione ortus tanto acerbior, graviorque, quanto clarus non tantum opera et signa externa inimicorum, sed etiam interiorum animi rabiem, odiumque cognoverat. 4<sup>o</sup> *Eorum, pro quibus patiebatur, ingratus animus, et perditio*: de quibus merito quaerebatur per Isaiam c. i. dicens: *Filios enutriti, et exaltati, et ipsi spreverunt me*. Et iterum c. iv. *Quid est, quod debui facere vinee meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas (grato animo agnoscendo beneficium Redemptionis, sibi que applicando) et fecit labruscas, illud ipsum beneficium spernendo, sanguinemque meum pro illis profusum in perniciem suam vertendo.* 5<sup>o</sup> *Amor et affectus*, quo totam suam passionem et tormenta desiderabat ardentissime, amplectebatur fortissime, et tolerabat constantissime, ita ut vere nemo possit comprehendere, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum hujus internae affectionis, nec scire supereminentem scientiae charitatem Christi Jesu, teste Apostolo Ebr. iii. 6<sup>o</sup> *Virtutes praestantissime*, quas in heroico et supremo gradu tunc maxime exercuit, tum ut exemplo suo illas in cruce velut cathedra doceret: tum ut easdem nobis sua passione promeriretur: tum ut morte sua confirmaret ultimam suam voluntatem, qua easdem virtutes nobis velut praeclaram hereditatem relinqueret. 7<sup>o</sup> *Septem stationes, in quibus patiebatur*: quarum prima fuit in horto Gethsemani, secunda in domo Annae, tertia in domo Caiphas, quarta in domo Pilati, quinta in aula Herodis, sexta in pretorio Pilati, septima in monte Calvariae, in quibus omnibus copiosa illi patienti occasio, materiaque subministrabatur. Haec ergo septem capita si frequenter et accurate per privatam considerationem ponderarit, non modo

ipse beneficii per Passionem suam a Christo collati magnitudinem et excellentiam clarissime intelliget, sed abundantem etiam materiam inveniet, similem estimationem per solidas conciones instituendi.

III. Det operam, ut scopum, qui ejus modi concionibus prefixus esse debet, ob oculos semper habeat, nempe ut eos affectus et actus virtutum in Auditoribus excitare studeat, quos tantum beneficium jure meritisimo ab iisdem exposcit, quales sunt 1<sup>o</sup> *Sincera et affectuosa condoleantia et commiseratio*, quae in voces similes cum David rege II. Reg. c. xviii. erumpere eum cogat: *Jesu Servator mi, mi Jesu S. creator, quis mihi tribuat ut ego moriar, pro te?* Intensus dolor et contritio de peccatis concepta: juxta S. Bern. ser. III. de Nativ. monitum: « Agnosce, o homo, quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. » 2<sup>o</sup> *Amoris mutui demonstratio*: Cum enim ex una parte, ipso Christo teste Jo. xv. *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam quis ponat pro amicis suis*; atque adeo, teste S. Apostolo Rom. v. vel maxime commendaverit charitatem suam Christum pro nobis, quod, cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est; ex altera vero parte amor, juxta Ethnicos, non nisi multo amore compensari possit, facile apparet, quantum amorem a quovis exigat hoc Passionis beneficium, quamque adeo merito S. Bernardus, ut supra jam dictum est, exclamarit: « Super omnia tu mihi amabilem reddidit, o homo Jesu, calix, quem bibisti, opus nostrae Redemptionis. » Sed et August. id ipsum confirmans dixerit: « Domine, qui tibi non servit (amando) quia creatus est, infernum meruit, qui vero tibi non servit, quia redemptus est, meretur, ut novus pro eo infernus fiat. » 3<sup>o</sup> *Gratitudo*: de qua praeclare S. Bern. in ser. de dilig. Deo sic locutus est: « Si totum debeo pro me facto, quid addam jam pro me relecto, et relecto hoc modo? Nec enim tam facile relectus quam factus; nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in relecto profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dara, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se, et, ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus me pro me debeo, et his debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si milies me rependere possem, quid sum ego ad Deum? » 3<sup>o</sup> *Spei et fiducia*: ad quam efficaciter iterum exhortans S. Bernard. ser. xvii.

super Cant. ait: « Passio tua, Domine Jesu, ultimum est regium, singulare remedium; deficiente sapientia, iustitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quod merita mea non sufficiant, ego vero fideliter, quando ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per quae effluant. » Hinc et S. Aug. confessus est se in omnibus adversitatibus non invenisse tam efficacem medium, quam vulnera et passionem Christi. 6<sup>o</sup> *Imitationis Christi*; nam, ut eleganter S. Aug. tr. cxix. in Joann. dixit: « Crux Christi non tantum est lectulus morientis, sed etiam cathedra docentis; » hinc S. Petrus. I. c. ii. monuit: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, » ut adeo merito quivis exclamet cum S. Banaventura: « Nolo, Domine, vivere sine vulnere, quando te video tantopere vulneratum. »

IV. Etsi ad enumeratos affectus concitandos omnem operam ac eloquentiam adhibere debeat, cavere tamen simul etiam oportet, ne ad hunc finem ludicra et exotica spectacula in templo aut in cathedra exhibere velit; haec enim curiositatem potius poseunt, quam Auditores adificiant; sed et ipsos affectus, quos excitare cupit Concionator, impediunt potius, quam promovent, ut multiplex experientia compertum est. Potius ergo eloquentiam suam in auxilium advocet, et cruciatuum Christi magnitudinem ac multitudinem patheticè ob oculos ponat, nec dubitet, quin majorem ex tali concione fructum, quam ex quibuscumque aliis spectaculis sit reportaturus.

V. Quo facilius materiam pro ejusmodi concionibus inveniat, studeat nosse Auctores, qui copiosius ejusmodi materiam suppeditant, quales prae reliquis esse possunt Card. Bellarminus de septem Verbis Christi in cruce pendentis. Alphonsus Rodriguez p. II. de perfect. Christ. tr. vii. toto. Casparus Tausch in Matre Dolorosa. Leopoldus Maneinus de Passione Domini. Hieronias Drexelius de Christo patiente. Ludovicus de Ponte p. medii. iv. fusa. Laurentius Forer in part. iii. VII. Christi. Matthias Faber in opere trip. in Feria Parasceves. et plures alii.

## Exemplar.

Concionis de Passione Dominica instituta.

## Thema.

Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. I. PETRI. IV.

## Scopus.

Demonstrandum, quomodo per memoriam devotam passionis et cruciatuum Christi omnia adversa sibi levia facere possint Auditores.

## Syllogismus principalis.

Non I. vero solatium est miseris, si socios nanciscantur eadem, aut graviora passos; atqui omnes fideles in tribulationibus suis socium nacti sunt Christum, graviora longe tormenta ac cruciatum perpassum; ergo merito ex illius considerata passione non leve solatium sperare possunt.

## EXORDIUM.

Solent non raro ii, qui majorem sanitatis, vitaeque suae conservandae curam ac sollicitudinem gerunt, myrothecia (*Balsam Düchschlein*) secum circumferre, ut si forte subito et inopinato casu in deliquium cadere eos contingeret, balsami in myrothecio suo inclusi mentione confortare sese, reficereque possent. Similium industrium optarem ego ab omnibus meis Auditoribus tanto ardentius adhiberi, quanto pluribus, gravioribusque spiritualium deliquiorum, pussillanimitatis, inquam, et impatientiae periculis sunt subjecti; cum enim jam olim pius Asceca I. II. de imit. Christi c. xii. verissime dixerit: « Convertite supra, convertite te infra, convertite leextra, convertite te infra, et ubique cruceum invenies, » facile apparet, quanto opere myrothecio aliquo spirituali indigeamus, quo animum nostrum in ejusmodi adversis casibus a deliquio spirituali defendamus, aut certe, si in illud ceciderit, iterum erigamus, et roboremus. Quod autem ad hunc finem aptius,

efficaciusque myrothecion reperiri poterimus, quam devotam Passionis et cruciatuum Christi memoriam? Ita sane jam olim testatus est S. Augustinus, dum ser. iii. ad Fratres in eremo dixit: « In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Servatoris; in illis dormio securus, et requiesco intrepidus. » Hoc sane myrothecion omnibus convenit et prodest, pauperibus aequè ac divitibus, humilibus aequè ac sublimibus; simplicibus aequè ac sapientibus, uti recte notavit paulo ante citatus Asceta l. II. c. j. de imit. sequentibus verbis: « Si nescis speculari alta et sublimia, requiesce in passione Christi, et in vulneribus ejus libenter habita; si enim ad vulnera et pretiosa stigmata Jesu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem senties. » Ut ergo et vos deinceps optatum solatium et robur ex hoc myrothecio, seu sanctissima Christi passione referatis, imprimis variis argumentis et testimoniis, quam pretiosum et salutare sit hoc balsamum demonstrabo; deinde vero unam hujus myrothecii cistulam post alteram aperiam, et quale ibi balsamum lateat, ac quomodo usurpandum sit, ostendam. Quemadmodum vero non dubito, vos insignem fructum et solatium ex hac concione reportaturos, ita magna quoque aviditate, benevolentiaque dicentem vos audituros confido.

## Pars prima.

Inter alias celebriores medicinas, quibus medici ad conservandam, et reparandam hominum salutem uruntur, non postrema merito theriaca aestimatur, utpote quae praeter admirandos, quos producere solet, effectus, etiam ex eo capite commendationem et aestimationem singularem meretur, quod ex trecentis diversis herbis, et aliis similibus medicinis componatur; sed quid haec omnia ad illas partes, ex quibus balsamum nostrum spirituale conficitur? Nam 1<sup>o</sup> ad hoc ante omnia adhibita fuit ipsa Divinitas, utpote quae adeo necessaria erat ad hoc balsamum conficiendum, ut sine ea nullam omnino efficaciam habuisset; siquidem concors est SS. Patrum sententia, nullum purum hominem, pro peccatis ab humano genere commissis satisfacere potuisse, nisi misericors Deus hoc medium invenisset, et infinitam dignitatem suae divinitatis cum vilitate

humanae naturae conjunxisset. 3<sup>o</sup> Ipsa etiam Christi Domini humanitas ad hoc balsamum adhibita est; cum enim ex una parte Deus decrevisset, humanum genus per varios, gravissimosque cruciatus, mortemque acerbissimam et ignominiosissimam redimere; ex altera vero parte ipsa Divinitas nec pati, nec mori posset, utique necessarium pariter fuerat, ut humanam Naturam assumeret, et ita conceptum in divino consilio decretum exequeretur.

Atque ex his praecipuis duabus partibus facile nunc colligi potest, quae aliae fuerint adhibita, nempe universa imprimis attributa, quae summae Deitati conveniunt: omnes deinde supernaturales gratiae et virtutes, quibus sanctissima Christi Humanitas in summo gradu ornata erat: omnia praecleara opera, quae toto vitae suae tempore exercuit: omnia merita, quae per actiones suas Theandricas in infinitum propemodum exerescentia obtinuit; omnes dolores, quos in vita et morte supra vires naturae sustinuit: omnes injuriae et ignominiae, quas a variis personis cum summa patientia et mansuetudine toleravit: omnia vulnera tam majora, quam minora, quae, uti ex variis revelationibus habetur, supra sex mille sexcenta sexaginta sex accepit: omnes sanguinis guttae quas innumerabiles ineffabili charitate ac liberalitate profudit: et ipsa denique ignominiosissima, et crudelissima mors, quam inaudita fortitudine et constantia obivit. Cum ergo juxta certam et unanimen SS. Patrum sententiam, vel unica sanguinis guttula, aut minimum opus a Christo patratum, tantum in se valorem ac dignitatem contineat, ut etiam ad infinitos mundos redimendos sufficisset, facile profecto colligi potest, quam pretiosum hoc balsamum nostrum esse oporteat, quod ex tot operibus ac guttis Christi, aliisque supra enumeratis partibus confectum est, ut adeo merito S. Leo ser. x de Pass. Domini dixerit, ex omnibus Dei operibus nullam magis admirandam, ac pretiosam esse, quam sanctissimam Christi passionem.

Quod porro singularem habeat vim et efficaciam ad homines in omni spiritali deliquo confortandos, testatus imprimis est ipse Deus tum per serpentem aneum in deserto suspensum, quem, qui aspiciabant, a morsibus laetiferis serpentum sanabantur, uti NUM. XXI. legitur, tum per farinam, quae pulmento ab Eliseo Propheta infusa omnem

illius amaritudinem sustulit, uti IV. REG. IV. narratur; tum per lignum in aquas amaras missum, quod pariter omnem iis aquis amaritatem eripuit, uti Exodi XV. videre est; quid enim per has figuras aliud significare voluit Deus, quam quod sicut serpens aneus morsus corporis, ita Christus in cruce suspensus morsus animi sanat; et sicut lignum illud et farina amaritudinem a pulmento et aquis, ita Christi passio cogitata tristitiae amaritudinem a mentibus hominum auferre solet? 2<sup>o</sup> Testatus idipsum est ipse Christus, dum discipulos suos Jo. XV. ad tribulationes et mundi persecutiones fortiter sustinendas animaturus, non aliud, quam exempli ac passionis suae balsamum obtulit dicens: *Si mundus vos odit, scilote, quia me priorem vobis odio habuit.* Atque ut magis hoc balsamum commendaret, addit: *Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Sed et post mortem idipsum suavit Religioso cuiuspiam, dum ob graves tentationes ad saeculum redire volenti, dixit: *Omne asperum intinge in latus meum, et erit tibi dulce;* nimirum tribulatio, ut S. Catharina Sennensis a Christo instructa dicere solebat, similis est duro pani, qui, secundum se quidem asper est, et difficulter sumi potest, si vero dulcissimo liquori sanguinis Christi immergatur, mox emolliri incipit, et cum delectatione singulari assumitur. 3<sup>o</sup> Testatus quoque eandem doctrinam est S. Michael Archang., qui jussu Dei S. Mariae Magdalene in spelunca degenti Crucem affabre factam in ipso spelunca aditu sic delixit, ut, quocumque oculos converteret, semper eam aspiceret, ut hac ratione doceret, quo potissimum medio asperitatem poenitentiae emollire, sequè in omnibus tentationibus atque adversitatibus roborare deberet. Uti fusiis Sylvester in rosa aur. ser. de S. Magdal. refert. 4<sup>o</sup> Testati sunt hoc ipsum gemini Principes Ecclesiae, primarii-que Apostoli Petrus et Paulus; quorum adversus imminentes persecutiones confortaturus, hoc ipso nostro balsamo eos inunxit scribens: *Christo in carne passio, et vos eadem cogitatione armamini.* Posterior vero eodem ad Hebraeos roborandos medio usus est, dum c. XII. scripsit: *Recogitate eum, qui lalem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Nec dubium esse

potest, quin reliqui quoque Apostoli et se, et Christianos suos eodem quoque balsamo inunxerint, et contra varias tribulationes roborarint. Testati sunt 5<sup>o</sup> idipsum copiose plerique SS. Patres, quorum tamen unum tantum alterum testimonium afferam. Et S. Gregorius Magnus quidem in Epist. quadam scripsit: « Nihil adeo grave est, quod non aequanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur. » S. Isidorus vero l. de summo bono ait: « Si Passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil est, quod non aequo animo toleretur, parva enim toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad caelum. » Testatur 6<sup>o</sup> idem et ipsa ratio nostra; annon enim haec dicitur, servum non debere esse majorem Domino suo? Nec Discipulum suo Magistro: non decere, ut sub spinoso capite membrum existat delicatum? Annon dicitur, eum, qui praemii socius esse desiderat, etiam laboris et passioni socium esse debere? Annon dicitur, summum fore dedecus, si Christo calicem amarissimum in nostram sanitatem ebibente, nos neque guttam illius amore gustare de simili calice velimus? Testatur denique 7<sup>o</sup> idipsum filii hujus saeculi; nam si Urias II. REG. XI. et lecti et mensae delicias tam constanter recusavit, dum Joabum ducenti sum sub papilionibus et super faciem terrae manere recordatus est: si Seneca ad lectionem Sextii omnes casus adversos provocare non dubitavit: si juxta commune proverbium solatium est miseris socios habere; quid non efficiet in animo Christiani, si Christi Duci sui tot tantosque cruciatibus passi exemplum intueatur? Quantum solatium capiet, si meminert, se in tribulationibus suis non purum hominem, sed ipsum Deum socium habere, atque tum exemplo suo, tum auxiliis celsitudo collatis confortantem? Satis liquet ergo, ut arbitror, quam veraciter SS. Christi passio pretiosissimo et saluberrimo myrothecio comparetur; atque adeo nihil superest, quam ut ad alteram concionis partem transeamus, et unam cistulam post alteram aperientes, quale in eo balsamum lateat, et qua ratione adhibendum sit, ostendamus.

## Posterior pars.

Primo ergo loco bullae moschi (*des Bisam Knopffs*) reperitur in hoc myrothecio nostro mysterium lotionis pedum, in quo utique

prestantissimum et fragrantissimum moschum continetur, illud videlicet exemplum, de quo ipse Christus dixit Jo. xiii. *Exemplum dei vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Hoc ergo moscho utuntur imprimis Sacerdotes et magistratus, quando impelli se sentiunt, ut nobilioribus quidem personis libenter operam suam exhibeant, justitiamque administrent, viliores vero et humiles negligant, et velut indignos sua ope contemnunt; hic considerent, quam nullum inter Apostolos discrimen Christus faciat, quanta cum charitate et humilitate scelerato Jude perinde ac S. Petro, S. Joanni et aliis Apostolis pedes abluat, et extergat; discant proinde et ipsi nullum inter personas discrimen facere; meminerit, omnes ad æqualem finem a Deo creatos, omnes æquali charitate ac pretio a Christo redemptos, omnes in filios ac hæredes summi Dei electos esse. Audiant proinde, et observent saluberrimam S. Jacobi monitionem c. ii. dicentis: «*Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi glorie. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui ladutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? »*

Hoc eodem moscho seu exemplo Christi pariter etiam se confortent omnes ii, quibus difficile accidit, vel humilia officia suscipere, vel certe alius juxta conditionem sui status subjicere sese, ac servire. Ii, inquam, omnes bene considerent, quis sit ille, qui ad pedes suorum Discipulorum se prosternit; et qui sint illi, quorum pedes abluere dignatus est; imaginentur proinde, illa sibi pii Ascetæ verba l. III. c. xiii. ab illo repeti et inculcari: «*Quid magnum, si tu, qui pulvis es, et nihil propter Deum te homini subdis, quando ego omnipotens et altissimus, qui cuncta ex nihilo creavi me homini propter te humiliter subjeci? Factus sum omnium humilissimus et infimus, ut tuam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare pulvis. Disce humiliter te terra*

et limus, et sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, et ad omnem subjectionem te dare. » Sic profecto non parum confortabuntur, et exemplo tanti magistri sui excitati in humilibus obsequiis ac subjectione libenter ad finem usque vite perseverabunt.

Sed ad ipsas nunc myrotheci nostri cistulas aperiendas progrediamur, quarum quidem quam plurimæ in eodem continentur, totidem scilicet, quot genera diversorum cruciatuum et injuriarum tempore Passionis sue Christus sustinuit; sed ego quinque dumtaxat præcipua aperiam, ea ipsa videlicet, quæ in Rosario doloroso plerumque solemus commemorare, et ad quæ velut suprema genera, reliqui fere omnes cruciatuum et injuriarum revocantur. In prima igitur cistula, cui hæc verba, inscripta sunt: *Factus in agonia prolixius orabat.* Luc. xxiii. balsamum reperitur pro iis, qui gravibus moribus et timoribus futurorum malorum cruciantur. Hoc balsamo utantur imprimis illi, qui de futuris eventibus nimium solliciti sunt, et anguntur. Hi proinde discant a Christo, quomodo se in simili occasione gerere debeant. Ipse certe, licet an ipso conceptionis sui primordio clarissime cognoverit omnia, quæ sibi eventura erant, nunquam tamen ab ea cogitatione se ad tristitiam commoveri est passus, usque dum ipsum, quo ea tolerare debebat, tempus appropinquabat, ut vel hoc suo exemplo nos doceret, omnem de futuris eventibus inordinatam sollicitudinem abjicere, totosque nos sapientissimæ Patris æterni providentiæ gubernandos committere. Aspiciant proinde, et faciant secundum hoc exemplar, audiant Thomam Kempensium l. III. c. xxx. salubriter monentem: «*Quid importat sollicitudo de futuris contingendis, nisi, ut tristitiam habeas? Sufficit diei malitia sua. Vanum est et inutile de futuris conturbari, quæ forte nunquam evenient. »* Faciant proinde sequentem in ejusmodi occasionibus discursum. Aut evenient, quæ tantopere timeo mala, aut non evenient: si non evenitura sunt, frustra et stulte ob ea conturbor et angor: si autem evenitura sunt, satis erit, si tunc toleranda fuerint, quando evenient. Nolo ergo ante tempus miser esse, et malum immatura, ac sollicita illius expectatione grandius efficere, sed potius tempus, quo accidit, expectabo, et tunc exemplo Servatoris mei ad montem Oliveti, id est, misericordie divine me conferam, et loco

trium Apostolorum, quos Christus secum accepit, ego tres Theologicas virtutes assumam. *Fidem* videlicet, quæ firmiter credam, mihi quæ persuadeam, nihil sine ordinatione ac permissione divina accidere; et quicquid hoc modo accidit, ad majorem Dei gloriam, et meam salutem fuisse ordinatum, aut permissum: *Spem*, quæ certo confidam, Deum non permissurum, ut ultra vires affligar, sed cum tribulatione etiam gratiam copiosam ad sufferentiam largiturum: *Charitatem* denique, quæ in his omnibus superem propter eum, qui dilexit me: quæque meam voluntatem cum ipsius voluntate penitus conformem, et ex corde cum ipso dicam: *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me; veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita profecto et ipsi cum Christo confortabuntur, utroque tribulationibus imminentibus occurrent dicentes: *Surgite, eamus.* Post hos vero etiam ii hoc balsamo utantur, qui pusillanimes sunt, et queruntur; si preces suas, quibus aut varia mala deprecabantur, aut certa beneficia, gratiasque petebant, a Deo non exauditas, sed penitus neglectas fuisse advertant. Et hi ergo ad exemplum Christi in horto tam ferventer et humiliter orantis, nec tamen exauditi attendant secumque sic discurrant: Si is, qui unicus dilectissimus Patris æterni Filius fuit, qui nullum unquam peccatum admisit, qui toties, et tam ardentem oravit, tamen a Patre non est auditus, cur ego vilissimum ac postremum illius mancipium, qui toties et tam graviter ipsum offendi, qui tam tepidas et imperfectas preces obtuli, cur, inquam, conquerar, si ab eo non secundum voluntatem meam exaudiar? Hic ergo discant a Christo, quod Deus, ut sapienter S. Isidorus advertit, frequenter non audiat ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem, id est, ea beneficia doneque conferat, quæ ad profectum ac salutem animæ nostre magis proficua esse cognovit; quemadmodum et cum Christo egit, dum ab ipso calicem quidem, quem transferri a se petierat, non abstulit, sed tamen robur copiosum, quod eum exhaurire posset, communicavit, quod et ipsi Christo, et toti generi humano longe conducibilis fuerat, sæpe igitur ejusmodi persone querule hoc exemplo Christi se solentur, simulque saluberrimam, solatiique plenissimam S. Bernardi serm. v. de quadr. sententiam pectori suo, memorieque firmiter inscribant: «*Nemo parvipendat orationem suam; dico*

enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod novit utilis. »

In secunda cistula, quæ mysterium flagellationis continet, atque adeo hæc verba inscripta habet: *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo.* ISAIE I. cap. balsamum pro agris, aliosque dolores corporales patientibus invenitur. Hoc ergo utantur imprimis omnes infirmi, sequi exemplo Christi in similem modum ad infirmitates suas æquo animo ferendas excitent, et confortent: Ecce Dominus meus et Servator meus gravissimos toto corpore dolores patitur, et ego modicum dolorem pro ipso non patienter et libenter sustineam? Ipse pro lecto durissimam columnam et crucem habet, et ego de duritie lecti mei conquerar? Ipse felle amarissimo potatus est, et ego amaritudinem medicarum potionum horreo? Ipse flagellorum et clavorum punitiones innumeras tulit, et ego panculas, levesque morbi puncturas non feram? Ipse omnino hominum auxilio, solatiisque desitutus fuit, et ego hominum solatia immoedice expetam, et conquiram? Absit hoc a me, non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum. Nolo vivere sine dolore et vulnere, quando Dominum in eum tot doloribus et vulneribus video insignitum. Sic profecto hoc oleo S. Clara, et S. Lydwina se inunxerunt, et consolatae sunt, ex quibus hæc continuis triginta octo annis per gravissimos morbos sic lecto fuerat affixa, ut neque surgere, nec pede terram attingere posset; S. Clara vero per annos viginti et octo cum acerbissimis doloribus, moribusque esse luctata, utraque tamen nec minimum unquam impatientis animi signum ostendit, sed continua gratiarum actio ex utriusque ore fuit audita, quia scilicet, ut ipse fatebantur, balsamo nostro inuncta exiguis esse dolores suos advertent, si cum Christi amantissimi Sponsi sui doloribus compararent. Simili autem modo, hoc etiam balsamo utantur, quotquot vel a Deo, vel a superioribus suis ob sua delicta per varias correptiones et castigationes flagellantur. Discant, inquam, hæc flagella non ut crudelia supplicia, sed ut paternas correptiones intueri, atque adeo æquissimo animo excipere ac sustinere studeant. Audiant proinde S. Apostolum HEBR. XII. salubriter

iterum monentem: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, cum ab eo corripieris; quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Audiant et S. Augustinum super Ps. xxxix. dicentem: « Fili mi, si ploras, pie plora: noli cum indignatione, noli cum typo superbiae. Unde plangis? Quod pateris, medicina est, non poena: castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere, quam poenam habeas in flagello, sed quem locum in hereditate. » Dicant proinde cum S. Davide Ps. xxxvii. *Ego in flagella paratus sum.* Dicant cum pio Asceca l. III. c. l. « Gratias tibi ago, o Pater, quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amarioribus, indiligens dolores, et immittens angustias foris et intus. Ecce, Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctionis tuae me inclino. Percute dorsum meum, et collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam tortosissimam meam. » Dicant denique semper et assidue cum pio Latrone: *Nos quidem iusto (flagellamur) nam digna factis recipimus; hic vero (Christus) nihil mali gessit.*

In tertia cistula mysterium coronationis continente, cui haec verba inscripta sunt: *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum;* balsamum continetur pro iis, qui varios contemptus et injurias patiuntur. Hoc itaque balsamo utantur imprimis, qui falso se accusatos, et injuste damnatos dolent, et seque ipsos exemplo et societate Christi solentur, ac dicant: Si is accusatus est, qui fuit ipse innocentia; qui solus cum veritate dicere potuit: Quis arguet me de peccato? Quid mirum, si ego accusor, qui sum ipsa malitia? Si is pro latrone, seductore, potatore, mago habitus est, qui omnium salutem tam ardentem quaesivit, qui tam praecleara virtutum exempla praebuit, qui omnibus veram viam ad perfectionem et caelum ostendit, quid mirum, si ego falso accusor, qui tot vitios et imperfectionibus totus ejusmodi accusationi occasionem dedi? Si is in judicio se non defendit, ut juste poterat, ubi de vita et fama agebatur, quanto minus ego me in causa multo leviori defendam? Sentiant ergo, et dicant de me homines, quidquid voluerint, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Mibi autem pro minimo erit cum D. Aposto. ut ab hominibus

judicor, aut ab humano die. Sic balsamo isto ab ipso Christo innectus est et confortatus Joannes Pechen Minorita, D. Bonaventura Discipulus, qui, cum in publico Capitulo falso accusatus, graviter hanc injuriam sensisset, ideoque ante Christi crucifixi imaginem prostratus, ac de eadem conquestus fuisset, a Christo post longiorem totius suae passionis enarrationem, tandem pro corone hae verba audivit: « Tu ergo vermis non turberis; si statim non consequeris, quod a Patre quaeris. » Deinde vero eodem balsamo specialiter utatur, qui sese aliis postponi, vel tanquam simplices aut stultos irrideri, aut gravibus contumeliis, illusionibusque consindi dolent; et hi, inquam, hoc balsamo seu exemplo Christi se solentur, ac dicant: « Si is, qui omni honore dignus erat, tantopere contemptus, et Barrabae latroni flagitiosissimo postpositus est, cur ego, qui minor sum omnibus, aliis postponi, refugiam? Si is, quem Coelestes, Terrestres, et Inferi reverentur, et adorant, spolis conpustus, et illusus est, cur ego unum, alterumque verbum contumeliosum non patienter audiam? Si is, qui est ipsa sapientia, pro stulto habitus est, cur ego, qui veras tot stultitias admisi, et Deum creaturam, gratiam peccato, summam felicitatem vilissimam voluptati postposui, pro simplici aut minus sapiente haberi recusem? Quin imo elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ludam, et vilior fiam, plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis. » Hoc sane balsamo Apostoli innecti sunt, hinc ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Hoc S. Elzearius adeo roboratus est, ut dicere ausus sit, se non tristaturum, aut turbatum iri, etiamsi proprii sui famuli ipsam invaderent, barbaraque evellerent. Hoc ergo et omnes, qui similes contemptus aut injurias patiuntur, uti assuescant, Christumque illis pii Ascecae verbis l. III. c. xli. ipsos alioquantem imaginentur: « Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari, te autem despici et humiliari: erige cor tuum ad me in caelum (aut potius in crucem), et non contristabit contemptus hominum in terris. »

In quarta cistula, quae mysterium bajulationis crucis continet, et sequentia verba inscripta habet: *Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur, Calvarie locum*

balsamum pro iis, qui sub gravi onere peccatorum vel laborum corporalium gemunt atque suspirant, continetur. Hi proinde omnes credant a Christo crucem bajulante illa sibi jam olim ad discipulos prolata verba repeti. MATR. XI. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam eos.* Veniant proinde ad ipsum imprimis omnes, qui laboribus corporalibus, quos propria cujusque vocatio a quolibet requirit, gravatos et oneratos se queruntur; veniant, inquam, et hoc balsamo id est, exemplo Christi se innungant, et solentur. Alloquantur seipsos, et dicant: Si Christus pro aliena salute tam patienter tulit crucem, cur ego pro mea salute eam non pari patientia supportem? Si ille, cui jure regnum caelorum debebatur, tot tamen tamque graves pro illo obtinendo labores suscipere voluit, quidni ego, cui gratis id promissum est, similes pro illo consequendo labores libenter ac prompte suscipiam? Si ille, qui est requies omnium Sanctorum, in laboribus fuit a juventute sua, cur ego servus ad laborem natus in otio vitam consumere non erubescam? Sic sane jam olim Christus juvenem quemdam Religiosum inunxit, ac roboravit, dum eidem ob difficultates in religione occurrentes propositum mutare volenti, cruce grandi onustus apparuit, et, cum Religiosus ipsum in cruce portanda juvare vellet, eidem dixit: « Quomodo tu crucem meam portare praesumis, qui togam tuam levissimam ferre non potes? » Quo dicto confusus ipse erebuit, et respuit. Eodem ergo hoc unguento et se innungant, qui laboribus gravantur. Imaginentur sibi, se denno ad crucem portandam illis Luc. ix. verbis invitari: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. » Respondeant proinde illis piissimi libelli verbis l. III. c. lvi. de imit. « Domine Jesu, sicut dixisti, et promissisti, sic utique fiat, et mihi promereri contingat; suscepi de manu tua, crucem portabo, et portabo eam usque ad mortem. Vere bona vita Monachi (et Christiani) crux est, et dux paradisi. Inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet. Eia fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum. Propter Jesum susceperimus crucem; propter Jesum perseveremus in cruce. Erit adjutor noster, qui est Dux noster et precessor. Eo Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis, sequamur viriliter, nemo metuat terrores;

simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus erimen glorie nostrae, ut fugiamus a cruce. » Verum non hi dumtaxat, sed illi etiam, qui peccatorum suorum onere prementur, veniant, et tanto ardentius hoc balsamo se innungant, quanto gravius est onus, quo prementur. Hi ergo vel maxime sibi applicare debent verba illa: *Venite ad me omnes, qui laboratis* (sub jugo et servitute Diaboli), *et onerati estis* (multitudine ac gravitate peccatorum) *et ego reficiam vos;* « Ego, inquam, qui Magdalenam gravius longe, quam vos feceritis, peccantem tam benigne ac paterne excepisti: ego qui Petrum tertia vice me negantem tam suaviter respexisti, et ad poenitentiam commovi: ego, qui latronem pauculis vocibus veniam petentem tam prompte exaudivi: ego, qui pro vobis tot tormenta sustinui, tot injurias perpressus sum, tot vulnera accepi, tot sanguinis guttas profudi, et ipsam denique amarissimam mortem sustinui: ego, inquam, reficiam vos per gratiam meam, ego a peccatis vos sanguine meo lavabo, ego vulnera vestra meis vulneribus, curabo, ego mortem meam vitam vobis spiritualem restituum. Convertimini itaque, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, revertimini, et vivite. » Quis tam suavem invitationem non audiat? Quis tam amica adhortatione non fleatur, maxime si meminerit, teste Taulero, Christum quondam alicui dixisse non tam cito stupam ab igne accendi, quam ipse paratus sit veniam peccatori contra ad poenitentem concedere: nec Matrem quamquam magis promptam esse ad filium ex igne eripiendum, quam ipse desideret peccatorem ab igne tartareo liberare. Venite ergo, o peccatores, et saluberrimam S. Aug. de Virg. adhortationem vobis applicate: « Inspice vulnera pendentis, sanguinem redimentis, pretium morientis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint, cogitate: haec in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. » Certe quam potens sit hoc balsamum ad peccatores confortandos et sanandos, paucis, sed efficacibus verbis S. Bernard. ser. iv. hehd. sacra ostendit, dum dixit: « Quis tam irreligiosus qui non

compungatur? Quis tam insolens, ut non humilietur? Quis tam iracundus, ut non indulgeat? Quis tam deliciosus, ut non abstinereat? Quis tam flagitiosus, ut non contineat? Quis tam maliciosus, ut non poeniteat his diebus? Merito quidem, nempe adest Passio Domini usque hodie terram moventis, petra scindens. »

In quinta tandem cistula, mysterium Crucifixionis continente, cui proin inscripta sunt hæc verba: *Mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus*. I. TUSSAL. v. balsamum pro moribundis continetur, sed iis maxime, qui inimicitias deponere nolunt, et æternum perire, quam inimicis ignoscere volunt; pro iis item qui mortem immodice timent. Hi ergo omnes hanc cistulam aperiant, et pretiosissimum ad se confortandos, balsamum reperiant. Quis enim 1º Inimicis suis paucas injurias et offensas non libenter remittet, si Christi exemplum tam graves, tamque multas injurias non modo inimicis suis remittentem, sed etiam excusantem, et pro iisdem Patrem æternum deprecantem audiat? Quis non erubescet, si videat, Dominum suum pro suis tot, tamque gravibus peccatis delendis et remittendis tam acerba tormenta, ipsamque amarissimam mortem sustinere, ipse vero pro unica dumtaxat vel altera levi offensa conservi sui nec unicum actum voluntatis, quo talem ei offensam condonet, elicere velit? Annon jure Christum illa MATTH. XXVII. verba de Cruce repetiturum timebit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi* (imo pro te copiosissime solvi) *nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui?* Ita profecto hoc balsamo usus, ejusque efficaciam expertus est S. Gualbertus, notissimus ille Confessor, qui, cum ipso die Parasceves in inimicum suum incidisset, eumque jam occidere pararet, per Christi veniam inimicis suis tam liberaliter concedentis amorem ab eo, ut parceret, rogatus, condonavit, et in signum amicitiae ambobus brachiis amplexatus; quod officium quam gratum Christo fuerit, mox per insigne miraculum patefactum est, dum scilicet Christus in cruce pendens, coram quo Gualbertus orabat, faciem ad ipsum convertit, significare volens, æquum esse, ut misericordibus oculis respiciatur, qui faciem suam ad inimicum suum tam benevole convertit, omnemque ei culpam tam liberaliter remisit. Omnes ergo, quotquot inimicitias animo adhuc fovetis, huc accedite, et illa

MATTH. v. verba velut ab ipso Christo denuo repetita audite: « Esto consentiens adversario tuo, cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judicii, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. » Aperiant vero etiam hanc cistulam, qui mortem immodice timent, nec leve per balsamum hoc nostrum, solatium, roburque accipient, utpote per quod omnia tria capita, qua mortem adeo terribilem faciunt, nempe tentationes Dæmonis, timor rationis in iudicio reddendæ, et metus gravis Purgatorii sustinendi, efficaciter tolluntur. Quam enim potens adversus Dæmonum impugnationes telum sit fiducia in SS. Domini passione collocata, jam pridem expertus est S. Elzearius Comes, qui, licet in agone terribili ab initio vultum præ se tulerit, paulo post tamen exclamavit: « Magna est Dæmonum vis, sed eam penitus enervarunt virtus et merita Passionis Christi. » Et post paululum iterum clamans, plane vici, inquit. Sed et ipsi Dæmones idem quondam S. Edmundo Episcopo confessi sunt, dum enim eosdem per vulnera et passionem Christi adjuraret, ac dicere juberet, per quod telum vires eorum maxime infringerentur, coeli tandem responderunt: « Per id, quod nominasti. » Sed nec iudicii severitatem tantopere timebit, qui passionis Christi devotus cultor extiterit. Annon enim talis confidenter cum S. Bernardo ser. XVII. super Cant. dicit: « Ego fidenter, quicquid mihi deest, usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per que effluunt. » Ita sane hoc balsamum usurpavit Religiosus ille Societatis nostræ, qui dicebat, Christo duplici titulo jus ad æternam hereditatem competere, titulo scilicet filii naturalis, et titulo meritorum, præcipue per Passionem obtentorum, priorem ipsi sufficere ad dictam hereditatem petendam, posteriorem nobis reliquisse, unde merito quibus cum magna fiducia et alacritate mori debeat. Ita etiam hoc balsamo usus est alius Religiosus, qui, cum in iudicio videret, alteram lanceam peccatorum suorum multum præponderare lancei bona opera continentem, unicam Christi guttulam leviori lancei apponi petiit, et mox copiose eam præponderare fecit. Longe memorabilis vero est, quod in Spec. Ex. V. Passio Christi ex. III. legitur, quod scilicet Religiosus quidam, qui non adeo bene vixerat antehac, post mortem cuidam Priori apparuerit, et se sine Purgatorio ad cœlum ivisse

confessus sit, eo quod consuetudinem istam habuerit, ut, quoties coram Crucifixo transiret, hanc orationem diceret: « Domine, per illam amaritudinem, quam sustinisti propter me in cruce, maxime quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. » O ergo vere pretiosum, vere salutare, vere desiderandum balsamum, quod tantopere in vita et mortis deliquis confortat.

#### Epilogus.

Agite ergo, et non tam a me, quam a Christo myrothecion hoc spirituale benevole accipite, sedulo usurpate, et studiose conservate. Dicite eum Sponsa Cant. c. I. *Fasciculus myrrhæ* (imo myrothecion spirituale)  *dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur*. Et quemadmodum olim Hebræi, cum tristitia quæpiam cor oppressit, ad se invicem dixerunt: *Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares simus*. Ita et vos in omnibus vestris tentationibus et mestitiis ad Crucifixum Christum properate, diciteque: *Eamus ad Christum Crucifixum, ut iterum hilares simus*. Sic vere vim balsami hujus experiemini, et vere cum S. Augustino, dicere poteritis: « In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax medium, quam vulnera (et cruciatus) Salvatoris, cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo: cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordissimi Domini mei, et recedit a me: si ardet libidinis movent membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguuntur. » Si denique et ipse timor mortis me ex cruciabit, ad vulnera et mortem Christi confugiam: « Nihil enim, ut idem Sanctus ait, tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur: tota spes mea est in morte Domini mei: mors ejus meritum meum, refugium meum; salus, vita, et resurrectio mea, meritum meum miseratio Domini; non sum meritis inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit; et si miserationes Domini multa, multus ego sum in meritis: quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior. » Quis ergo me separabit a charitate, qua est in Christo Jesu pro me passo et crucifixo? « Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque

Principatus, neque instantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare; quia in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, donec sicut socii passionum fuimus, ita et gloriæ simus, quam nobis per merita SS. Passionis concedat Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

*Alii conceptus de eadem materia breviter indicantur.*

I. Ex occasione thematis: « Plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, Zach. XII. potest narrari breviter historiola, qua in Spec. Exempl. V. Passio ex. VI. legitur de Anglo nobili, qui in hebdomada sacra cum Saraceno per nemus pulcherrimum transit, omnesque aves expansi alis arbori ad modum crucis adherentes vilit, causam vero rogans a Saraceno audivit, id singulis annis in hac hebdomada contingere, verum in die Resurrectionis omnes iterum reviviscere quasi, et cantare. Ex hac historia inferatur, merito quemvis etiam Christianum hoc tempore duabus alis *affectus et effectus* eruet et passioni Christi adherere debere. Ostendatur ergo 1º Quomodo *affectu* adherere debeant, nempe actus gratitudinis, fidei, doloris de peccatis, amoris elicendo, quod proin, qua ratione fieri possit, clarius ostendendum erit. 2º *Effectus*: Ut scilicet etiam opere cumpatiatur, id est, simul cum ipso Christo patiamur; id quod duplici modo fieri potest, *abstinendo* scilicet, et *sustinendo*, juxta ipsius Christi adhortationem Luc. IX. dicentis: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. » Ostendatur proinde, quomodo in praxi quisque amore Christi *abstinere*, a peccato maxime, et omnibus rebus ad peccatum allicientibus, et *sustinere*, sed eas maxime cruce, et difficultates, quas suis cuicunque status et vocatio offert, debeat.

II. Ex occasione thematis: « Accepto corpore Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo; » potest ostendi, quomodo Auditores sepulchrum Christo in corde suo excitare debeant. Et 1º quidem, quomodo *Parietes* dolorosa Christi patientis mysteria representantes erigendi, ubi pulchra habetur occasio, præcipuus Christi cruciatus explicandi, et, quid



in singulis maxime considerandum sit ostendendi. 2<sup>o</sup> Quomodo *Lampades* suspendendae, id est, varii affectus gratitudinis, doloris, spei, patientiae, passionis, amoris elicendi; ubi copiosa offertur materia, declarandi, cur, et quomodo hos actus elicere debeamus. 3<sup>o</sup> Quomodo caelum et receptaculum pro SS. corpore Christi seu monstrantia, ut vocant apparanda, id est, laudes et gratiae Caelitum more ob Passionem dicende, et cor suum pro fereulo seu monstrantia offerendum sit, juxta illud Salomonis Prov. xii. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi*. Ubi ostendi poterit, quid sit cor præbere, scilicet omnes alias res creatas excludere, omnemque suum affectum et amorem in Deum et Christum transferre.

III. Ex occasione thematis : *Jam hyems transit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra*; potest Passio Christi horto comparari, et inde varii flores colligi, atque in unum fasciculum, qui Auditoribus offeratur, connecti; ex qua occasione fructus præcipui, et virtutum actus, quos ex consideratione Passionis Christi reportare et elicere debemus, explicari possunt. Primus itaque flosculus esse dicitur frissago seu *ergiss mein nicht* per quem intelligi potest affectus gratitudinis, quam Passio Christi præ omnibus aliis beneficiis exigit. Secundus flosculus est viola seu *das Veyelin* per quam dolor de peccatis indicatur, utpote ad quem elicendum specialiter conducit, et excitat Passio Christi. Tertius est origanum seu *wohlgemuth*, vel euphrosynon seu *Augen Trost* per quem flosculus spes et fiducia, cui copiosa motiva offert Christi Passio, innotuit. Quartus est rosa seu *die Rosen* per quam patientia significatur, ad quam excitandam nihil est efficacius quam Christi Passio; nam, ut recte, S. Gregorius dixit: « Nihil est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocatur. » Quintus est flos echii, seu *dass je langer, je lieber*; per quem amor ab amore Christi patientis singulariter provocatus indicatur. Qui omnes affectus fusi explicati partim in Alphonso Rodrig. p. u. tr. penult. partim in Auctario Fabri them. v. in Fer. Parascov. videri possunt.

IV. Ex occasione thematis : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Ps. cxv. potest magnitudo beneficii Redemptionis explicari, eumque in finem historia de Androclo servo Romano spiam leoni eripiente, et vicissim a leone contra

alios leones in amphitheatro defenso narrari. Dicitur ergo 1<sup>o</sup> quod leo iste hominem significat, qui spinam acutissimam peccati in pede, id est, affectibus suis contraxit. 2<sup>o</sup> Ostendatur, quomodo illam Christus, et quanto cum labore, quamque copioso sanguine et vulneribus extraxerit. 3<sup>o</sup> Inferatur, quid homo ob beneficium Christo debeat, quod scilicet ei hospitium in antro cordis præbere, cibum voluntatis divinæ studiose impletæ offerre, et contra feras bestias peccatorum defendere debeat, quae omnia facile fusi ostendi possunt.

V. Ex occasione thematis : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*. Luc. vi. potest ostendi, quod Christus tempore Passionis suae maxime medici personam assumpsit, pharmacopolis quodam pretioso erecto, nunc omnes frequentibus iterum verbis invitet : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam* (ac curabo) vos. Demonstrari ergo poterit, quam pretiosum hoc sit pharmacopolium seu apotheca ex iis maxime capitibus, ob quae plerumque apothecae ab hominibus magni aestimari solent. Et 1<sup>o</sup> quidem ostendatur, quod *pretiosissimis* constet medicinis, videlicet meritis Christi, quorum quolibet infiniti valoris est secundum communiorem Theologorum sententiam. 2<sup>o</sup> Quod *efficacissimis* constet medicinis, eum non minor illarum sit efficacia nunc, quam olim quando in terris ambulabat Christus, atqui tunc virtus exibat, et sanabat omnes. 3<sup>o</sup> Quod *diversissimis* constet medicinis pro omni morborum genere; ubi herere maxime poterit Concinator, et præcipue ostendere, quam apte medicino pro peccatis septem mortalibus reperiantur; v. g. pro superbis corona Spinea et arundo; pro avaris marsupium Judae; pro invidiis toga Christo detracta; pro luxuriosis flagellum sanguine Christi conspersum; pro gulosos vas aceto et felle refertum; pro iracundis lancea Christi cruore cruenta; pro aediosis malleus et forceps, quibus Christus cruci affixus est; pro omnibus vero velut alexipharmacum sanguis Christi, quorum proin efficacia et aptitudo pro singulis his vitiiis fusi ostendatur. 4<sup>o</sup> Quod haec apotheca semper aperta sit, et ad omnium accurrentium usum parata. 5<sup>o</sup> Quod medicinae in hac apotheca gratis et sine pretio offerantur, imo gratissimum Christo praestetur obsequium, si frequenter petantur, et usurpentur. 6<sup>o</sup> Quod idem, qui paravit has

medicinas, sit etiam medicus peritissimus, agnosens clarissime singulorum accedentium morbos, et simul etiam medicinarum ad illos curandos aptitudinem. Excitentur proinde Auditores, ut magnam de hoc medico fiduciam concipiant, atque ad eundem pro medicinis tantopere sibi necessariis frequenter recurrant.

VI. Ex occasione thematis : *Respice in testamentum tuum*. Ps. lxxviii. potest dicere Concinator, quod illiana experientia constare, quod post mortem magnorum dominorum magnus mox oriatur in multis desiderium cognoscendi, quale testamentum fecerit, maxime si aliquid ex eo se obtenturos sperant. Quare cum et nunc maximus quidam Dominus, imo Dominus Dominantium sit mortuus, et ex ejus Testamento omnes se aliquid participaturos sperent, se jam nunc Testamentum ultimum hujus Domini aperturum, et quid cuique in Testamento hoc suo legaverit, explicaturum. Et 1<sup>o</sup> quidem dicatur, quod corpus suum Josepho Arimathaeo et Nicodemio legarit. 2<sup>o</sup> Animam Patri aeterno, in cuius manus Spiritum suum commendavit. 3<sup>o</sup> Dolores suos agris. 4<sup>o</sup> Injurias suas iis, qui similes injurias patiuntur. 5<sup>o</sup> Coronam suam Spineam iis, qui difficultatem in capite suo frangendo, judicioque suo Ecclesiae, vel superioribus subijciendo sentiunt. 6<sup>o</sup> Linteam renes circumdans et sanguine purpuratum incontinentibus. 7<sup>o</sup> Sacrosancta sua vulnera afflictis. 8<sup>o</sup> Thesaurum meritorum suorum Ecclesiae. 9<sup>o</sup> Virtutes suas, præcipue mansuetudinem, humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem, perseverantiam omnibus Christianis. 10<sup>o</sup> Arma Crucis, seu ipsam Crucem omnibus ipsum sequi perfectius, et sub vexillo suo militare cupientibus. Ostendatur autem de his legatis, quam pretiosa sint, et quomodo quisque ea juxta voluntatem Testatoris usurpare debeat; hunc enim usum esse præcipuum obsequium, quod Testator in grati animi signum sibi exhiberi desiderat.

VII. Ex occasione thematis : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Acton. xiv. potest dici, quod eorum, quibus iter aliquod difficile, et periculosum suscipiendum est, prima plerumque cura sit, ut Comites sibi peritos, fideles, et jucundos (cum jucundus comes sit vehiculum viae juxta commune proverbium) sibi adseiscant. Cum ergo, ut textus in themate citatus indicat, omnes per viam tribulationum difficilem ac

periculosam in regnum Dei intrare oporteat, merito quoque de talibus Comitibus quemque sibi prospicere debere. Quia vero non cuiuslibet tam facile fuisse, ejusmodi Comites invenire, ideo Christus eos primum elegisse, nobisque postea reliquisse. Hos autem Comites alios non esse, quam *Indigentiam, contemptum, et dolores*, quos P. Balthasar Alvarez Comites Christi appellare solebat, eo quod Christum per totam vitam, sed maxime tempore Passionis suae, nunquam deseruerint, sed fidelissime comitati sint. Dividitur ergo concio tota in duas partes, et in priori quidem parte ostendatur, quomodo hi Comites Christum in extremo vitae ac Passionis suae tempore sint comitati; et proinde a nobis quoque libenter suscipi debeant. 2<sup>o</sup> Ostendatur, fideles, viaque periti sint hi Comites, id est, quanta spes aeternae felicitatis obtinende merito concipi possit ab iis, qui ejusmodi indigentiam, dolores, et contemptum patienti et generoso animo supportant. Quam item jucunda sint hi Comites, utpote de quorum jucunditate ipse S. Paulus II. Cor. vii. testimonium tulit dicens : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » Quae omnia facile fusi amplificali et probari possunt.

VIII. Praeter hos conceptus alii quoque adhiberi possunt, a Concinatoribus usurpari soliti, ut scilicet interdum processionem se cum Auditoribus institutum ad locum, in quibus Christus passus est, variasque stationes facturum, id est, quid in quovis loco considerare et discere debeat, aut possint, explicaturum. Aut septem ultima Christi verba explicet, et morales inde doctrinas ad imitationem Card. Bellarmini eruat. Aut de quibus vulneribus velut de totidem aedibus peroret, et quare, ac quomodo ad ea Auditores confugere debeant, ostendat. Aut præcipuas sanguinis profusiones explicet, et, quis fructus ex iis sit hauriendus, demonstrat. Aut denique unum mysterium post alterum explanet, et sic per plures annos totam Dominicam Passionem explicando percurrat.

## CAPUT XI.

Quomodo Conciones funebres Instituendae sint.

Duplicis generis conciones institui solent,

solemnis et communes. Illæ plerumque in exequiis, hæc ipso sepulture tempore instituantur. De utriusque fructuose instituendis solidam ac faciliem praxim hoc capite sum alaturus.

*Quid in his concionibus in genere sit observandum.*

Imprimis et ante omnia curet Concionator ut sinceram erga defunctos omnes misericordiam instillet suis AA. et parochianis, eumque in finem sibi applicet quoque saluberrimam illam doctrinam, quam P. Jacobus Leynes Secundus S. J. Generalis reliquit, dum inter alia media ad conservandam Societatem hoc imprimis commendavit, ut quotidie, et quam frequentissime animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, meminisset. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, occupationibus tam multis eo dumtaxat sine susceptis, ut homines ad æternam felicitatem consequendam juvet, consentaneum profecto est, ut eundem prosequens charitatis Spiritum etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur, ne justa illis sit causa Societatis charitatem quasi imperfectam accusandi; et merito liceat conqueri, se in medio itinere, eoque in loco destitutos, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Quæ doctrina profecto a Curatoribus animarum tanto magis observanda est, quanto pluribus et potioribus titulis obligati sunt, ad animas suorum parochianorum juvandas. Accedit, quod hæc misericordia sit efficacissimum medium ad felicitatem æternam melius, citius, et copiosius obtinendam, atque adeo vel hoc etiam titulo a Pastore suarum ovicularum salutem avidè desiderante studiosè inculcari debeat.

II. Cum nunquam fore, quam tali tempore, quo conciones funebres habentur, animi Auditorum magis sint dispositi ad doctrinas acceptandas, ideo in his concionibus specialem adhibeat diligentiam, ut ad motus et affectus congruos excitandos sint comparate. Quod quidem non adeo erit difficile, si industrias mox subjungendas secundo observet.

III. Præcipue semper ob oculos habeat finem, quem ejusmodi concionibus habendis præfixum esse oportet, qui quidem triplex

est potissimum. Scilicet collaudatio defuncti, consolatio amicorum, et edificatio reliquorum Auditorum; omnemque detoperam, ut quidquid his finibus obtinendis obstat potest, efficaciter removeat.

IV. Pro primo fine, scilicet collaudatione defuncti obtinendo sequentia observet. 1<sup>o</sup> Caveat ne aliquid ad commendationem defuncti afferat, quod fictitiæ virtutis speciem præseferat. Sic enim hoc ipso tota concio vilesceat, atque adeo omnis fractus desperandus foret. 2<sup>o</sup> Caveat similiter, ne factis, quæ aut nullam aut specialem certe laudem non mereantur, referat concionem, sic enim obscurare potius esse, quam procurare laudem defuncti censeatur. 3<sup>o</sup> Caveat etiam, ne si plura facta commemoret concionem ingratiatam aut infructuosam efficiat. Meminerit proin illius sententiæ a S. Augustino prolata, quæ dixit, pompam funebrem, et multitudinem comitantium ad spulchrum, et similia solatia vivorum potius esse, quam mortuorum, laudarique tales, ubi non sunt, et cruciari, ubi sunt. Ideo selectiora quedam, eaque pauca facta seligat, atque non tam ad memoriam, laudemque defuncti, quam ad imitationem et edificationem Auditorum proponat, reliqua per ingeniosam aliquam præteritionem breviter percurrat. 4<sup>o</sup> Caveat denique, ne, dum alios passim laudat, de aliquo defuncto nil omnino dicat, sic enim tacite vituperare defunctum censeatur, et consanguineos pudefacere, offendereque posset.

Si ergo nil speciale occurrat, ex hoc ipso laudis occasione sumat, dicatque, sicut non nemo dixit, vitam communem esse suam maximam penitentiam, ita hoc ipsum de vita hujus defuncti dici posse. Alias dicet modestiam defuncti tantam fuisse, ut sua pleraque absconderit, vitamque occultam cum Christo ducere maluerit, quam videri gloriosus. Interdum ex ipsa morte, quæ plerumque pia esse solet, desumi potest occasio vitam collaudandi, cum mors soleat esse echo vite, juxta commune adagium: *Sicuti vita, finis vita.*

V. Pro secundo fine sive consolatione amicorum obtinenda, det operam, ut sive ex ipsa mortis qualitate, sive vite præterite tempore ostendat, probabilem spem concepisse, quod defunctus inter electos sit adnumeratus, etsi forte non nihil a fruitione beatitudinis in purgatorio retardetur. 2<sup>o</sup> Ut ex ipsius obitu ostendat conceptum, non il-

laudabilem esse dolorem, nec improbari posse, si hunc etiam amici lacrymis contestentur, verum cavendum esse, ne immoderatus sit, et ab auxiliis mortuo impendendis impediatur. 3<sup>o</sup> Ut pariter declaret, quantas et sibi, et defuncto gratulandi occasiones habeant, ut qui ex exilio in patriam translatus aut certe transferendus, optatum votorum terminum attingerit, illisque plus inde auxilii quam interris fecisset, porrecturus credatur. 4<sup>o</sup> Ut ipsis significet, nunc maxime adesse tempus, dilectionem suam non verbo, aut singultibus, lacrymisque, sed opere et veritate demonstrandi, ut dici de illis æque ac de Christo queat: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit illos.* JOAN. XIII. Ostendat proin quomodo hanc dilectionem ostendere queant.

VI. Pro tertio fine, scilicet edificatione aliorum obtinendo det operam, ut, quandoquidem, ut dixi, optime sunt dispositi Auditorum animi, occasionem sumat, saluberrimas quasque doctrinas commendandi. Specialiter vero memoriam mortis, judicii, æternitatis; item utilitatem honorum operum utpote quæ solummodo comitata fuerint defunctum; vanitatem rerum humanarum, utpote de quibus nil nisi afflictio animi sit relicta; patientiam in adversis, utpote quæ nunc rosa sit productura in altera vita; cultum B. Virginis et Sanctorum, utpote qui soli in iudicio adstiterint; amaro fructus peccatorum, ex quorum manducatione dentes, id est, conscientia defuncti obstupuerint; vite brevitatem et mortis incertitudinem; ut mature ad hanc se preparare student.

VII. Cum aliquibus in locis admodum frequentes sint ejusmodi conciones et sæpe non multum temporis suppetat, ad illas faciendas imprimis student magnam in iis habendis varietatem observare, ne dum eadem, eodem fere modo frequentius repetit, fastidium potius, id est, consuetudinum animorum motum efficiat. Itaque fontes semper quosdam in memoria habeat, ex quibus dictam varietatem haurire possit, quidem ad sequentes duodecim revocari possunt. 1<sup>o</sup> Vita et facta defuncti. 2<sup>o</sup> Argumenta, quæ spem faciunt beatitudinis ab eo obtenta. 3<sup>o</sup> Motiva et cause succurrendi. 4<sup>o</sup> Media ad succurrendum. 5<sup>o</sup> Objectiones, quæ a tepidis objiciuntur, ad debitum hoc fraternæ charitatis a se amovendum. 6<sup>o</sup> Officia varia defuncti. 7<sup>o</sup> Etas et aliæ circumstantiæ concomitantes. 8<sup>o</sup> Varia genera mortis. 9<sup>o</sup> Doctrinæ sa-

lutares, vel ab ipso defuncto relicta, vel ex morte illius deductæ. 10<sup>o</sup> Epitaphia varia mortuis constructa. 11<sup>o</sup> Emblemata, vel aliæ res sepulchris affigi solitæ. 12<sup>o</sup> Sepulchrum et ritus sepeliendi. Ex quibus omnibus fontibus, quomodo variè conceptus erui et fructuose proponi queant, infra variis exemplis practicis demonstrabitur.

*Exemplar primum.*

Quomodo in exequiis alicujus defuncti concio haberi possit.

*Thema.*

Respice in Testamentum tuum. Ps. LXXIII.

*Scopus.*

Demonstrandum, quod probabiliter defunctus sit inter Beatos connumeratus, simulque Auditores, ad vitam, et virtutem ejus imitationem accendendi.

*Syllogismus principalis.*

Amor B. Virginis, misericordia erga pauperes, et bona vita sunt optima media ad vitam æternam obtinendam; atqui hæc diligenter adhibuit defunctus; ergo merito creditur, cum vitam æternam obtinuisse.

*Alter Syllogismus principalis.*

Legata pretiosa a testatoribus relicta sunt hilariter gratoque animo acceptanda; atqui defunctus talia legata reliquit omnibus visis hominibus; ergo hi omnes hilariter gratoque animo debent illa acceptare.

**EXORDIUM.**

Quando viri alicuius dives aut primarius mortuus est, ante omnia queri solet, an testamentum fecerit, tantoque ardentius quanto responsum accipere desiderat, quanto majorem spem concepit, aliquid ex illa hereditate accipendi. Idem credo his diebus contigisse, quando non sine magno multorum

dolore Dominus Nicolaus, ejus exequias hodie celebramus, pie in Domino obiit; quare, cum non dubitem, quin mei Auditores quoque aliquid legatum ex ejus testamento expectent, statui eorum desiderio satisfacere, atque adeo in presenti concione breviter indicare, quale testamentum is fecerit, et quid potissimum meis AA. legaverit. Spero itaque tanto avidius, ne auditum iri, quanto gratiora sunt, quae in praesentia sum dicturus.

#### Pars prima.

In quatuor potissimum partes divisit testamentum Nicolaus noster, juxta numerum scilicet rerum, quas a Deo acceperat. Prima pars continebat animae dispositionem, quam perilla S. Davidis verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*: non alteri, quam Deo velut praeantissimum quod habeat, bonum offerendum censuit. Quod vero etiam ratam habuerit Deus oblationem, atque adeo acceperit in manus suas spiritum ejus; plura quidem, sed praecipue tria sat clara indicia sperare nos faciunt. Primum est singularis et tenerimus amor, quo erga S. Dei Genitricem toto vitae suae tempore ferebatur. Hanc sane amavit, et exquisivit a juventute sua: hanc in matrem suam elegit, in hujus congregationem inscribi se permisit, legesque accurate observavit. Hanc annuis confessionibus et communionibus in illius Festis praecipuis, Sabbatinis, juniis, vel saltem abstinentiis, et quotidiana recitatione Rosarii, litaniarum, aliarumque precum, imo et horaria salutatione piissime coluit, et honoravit. Ad hanc in omnibus necessitatibus, et periculis velut infantulus ad Matrem cum singulari fiducia confugit, ut in agone maxime apparuit, quando ejusdem iconem suavissime dissuaviatus, tenerimo cum affectu illam Ecclesiae orationem recitavit: « Sub tum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis, et a praesenti maxime, libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta. » Sed et illam sapienter iteravit: « Maria Mater gratiae, Mater misericordiae. Tu nos ab hoste proteges et hora mortis suscipe. » Cum ergo SS. PP. et Ascete passim amorem et devotionem constantem erga hanc Sacratissimam Virginem inter praecipua praedestinationis indicia merito

numerent; ita ut S. Anselmus dicere ausus sit, impossibile esse, ut ad ipsam conversus pereat; sic ex tot illustribus et probatis historis habemus, etiam gravissimos peccatores, qui unicum Salutationem Angelicam quotidie recitarunt, vel aliud simile obsequium constanter ipsi exhibuerunt, mirabiliter ejus intercessione conversos, felicemque ex hac vita transitum sortitos esse; an de Nicolao nostro, qui tot tantaque obsequia tam constanti, et tenera pietate ei per tot annos praestitit, dubitare poterimus, quod non eandem a misericordissima Patrona sua gratiam obtinuerit?

Alterum indicium est, misericordia erga pauperes, quam usque adeo constanter tenuit, ut vere de ipso illa Job. c. xxxi. verba dici poterint: *Ab infantia mea crevit mecum miseratione; et de utero matris egressa est mecum*. Hinc quoties aspiciebat pauperem, tenerime erga illum viscera ejus mox commovebantur. Neque tamen inter sola verba stetit illius commiseratio, etiam in effectum multipliciter prodiit. Hinc de suis redditibus et lucris annuatim certam partem seponebat, quam in sacco quodam, cui titulus *Morsupium Christi*, inscriptus erat, reposuit, et suo tempore non aliorum opera, sed propriis manibus cum singulari solatio, tam suo, quam pauperum, ut qui vel ex ipsa vultus hilaritate tenerum ejus amorem facile concipiebant, distribuere solebat. Sed et severissime suis praecipiebat, ut ciborum reliquia diligenter asservarentur, et pauperibus suo tempore dividerentur; singulariter vero erga pauperes infirmos afflictiatur; hinc non modo cibos, potumque illis identidem submittebat, sed medicinis, et refocillationibus constanter abjurabat; imo non contentus erat, ut ipsemet talem affectum erga miserum foveret, sed eundem etiam domesticis instillare conabatur. Hinc quoties audierat, mendicium aliquem gravius a domesticis increpatum fuisse, agerrime ferebat, illudque S. Augustini super Ps. ciii. monitum in memoriam illis revocabat: « Si non potes dare, affabilem te fac: coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat non habeo. Caritas de saeculo non erogatur. » Elsi vero talis fuerit, ac tanta Nicolai nostri erga viventes pauperes commiseratio, quam, ut infra videbimus in hoc ipso Testamento novo, eoque luculento testimonio iterum declaravit; negari tamen non potest, eam erga defunctos tanto tene-

riorem fuisse, quanto majorem illorum necessitatem, ac indigentiam esse, divinitus collustratus cognoverat; et sane longus foret, si omnes illius inventiones ad subsidium animarum excogitatas vellem percensere. Duae nobis, quae praecipuae creduntur, sufficient, quarum altera est, quod mensuram communionem, aliaque similia opera, ob quae indulgentias plenarias animabus applicare licet, diligentissime semper lucrari studuerit, et non illo dumtaxat die, sed etiam quavis hebdomadae Feria secunda Sacrificium Missae pro illis offerri curavit, eo quod haec duo media praeter ceteris efficaciam judicaverit ad dictas animas, quam celerrime a positis exigendas.

Alter inventio erat, quod omnem operum suorum fructum satisfactorium, quem aliis potiori titulo transcribere non cogebatur, animabus iisdem cum insigni liberalitate reliquerit, tantum fecerit hoc officium charitatis, ut beatam dicere sit solitus horam, qua in libellum, qui efficaciter hanc devotionem ei persuaserat, incidisset, certamque quotidie orationem pro Sacerdote, qui dictum libellum composuerat, recitaret. Si ergo S. Hieronimus in epist. ad Nepotianum affirmare indubitanter ausus est, se non legisse aliquem mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit, eo quod multos habeat intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri; qui non felicissima morte defunctum Nicolaum nostrum credat, quem tot tamque praestantia misericordiae opera exercuisse cognovit?

Tertium tandem indicium est, vita ipsius honeste transacta, de qua quidem non opus multa dicere, cum vobis ipsis luculente constet, quam pie et Catholice vixerit. Illud omnino praetere non possum, quin commemorem, quod suam sanctitatem prudenter non in exotici actionibus, aut amilibus devotionibus, sed quotidianis officii sui functionibus perfecte, id est, cum legitima intentione, et debita diligentia obeundis posuerit, memor verissimi effati ab Asceta quodam prolati: « Optima Christiani perfectio est, quotidianas status sui functiones rite peragere. » Hinc praecipua ipsius cura erat, ut temporis magnam rationem haberet, illud Judae dictum perpetuo sibi et aliis occinere solitus: *Ut quid perditio haec?* Poterat haec actio venundari multis, et dari pauperibus. Proxima dein illius cura erat, ut tem-

pus matutinum tam ab ipso, quam domesticis inter preces absumeretur, eo quod menti suae alte impressum habuerit illud Salomonis consilium Prov. iii. « Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum, et abundabunt horrea tua, frumento et vino torcularia tua redundabunt. » Eandem ob causam curabat etiam, ut non ipse dumtaxat, sed domestici etiam Missae Sacrificio quotidie interessent, et SS. confessionis et Eucharistiae Sacramenta, quae ipse singulis ad minimum octiduis usurpabat, quovis mense religiose susceperent. Cum aliis vero tam sincere, juste, et affabiliter vivebat, et conversabatur, ut vel ex solo hoc indicio inter veros Christi discipulos numerari mereretur juxta illud Christi JOAN. xiii. dictum: *In hoc cognoscens omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Si ergo juxta communem sensum hominum longa experientia comprobatur, mors echo vite dicitur, et, ut S. Augustinus de doctr. Christ. dixit: « Non potest male mori, qui bene vixit; » non merito credimus beatam mortem defunctum Nicolaum fuisse, qui vitam tam honeste, tam sancte ad finem usque instituerit?

#### Pars secunda.

Sed, ut video, longius non nihil prima haec testamenti pars me abduxit. Ad alteram me converto, quam quidem uti et sequentes duas brevius percurram. Sicut ergo animam Deo, ita corpus suum terrae, a qua illud acceperat, restituit, qua tamen in transcriptione nescio, annon sapientiam magis, quam modestiam suam egregio argumento iterum confirmavit, dum solam pompam ordinariam in sepeliendo suo corpore adhiberi, omnem vero splendorem, aut curiosum apparatus studiosissime vitari jussit. Novit scilicet prudentissimus Nicolaus, quod jam pridem S. Augustinus de verbis Apostoli THESSAL. iv. sapienter dixerat: « Pompa funebri, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulture, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt, qualiacunque solatio, non adjuvantia mortuorum. » Novit quoque corpus in hac vita, quasi equi munere functum esse, a quo anima tamquam eques fuerat circumlata. Neque adeo decere, ut dum eques ipse foris est, in captivitate et gravi necessitate cons-